Quādo Berta focū sensit cariplesma roaptons
Scorlauit testam nimio superata dolore,

Qua

Qua propter contra Lanā sbrofando corexam
Extinxit Rocham, tū protinus in pede saltat,
Et mediū brancās quadrellum torsit in illam,
Quē saltādo statim frendentē lena schifauit
Inter eas stabat sepes fundata sorores
Vltra quam se se pede gionto Lana butauit.
Tunc se brancantes ꝑ trexxas atq; Capillos,
Dilacerāt, mordēt, grafiant, sine forfice toscāt.
Illuc audito strepitu Visinanza cucurrit,
Atq; quasi mortas illas catauere iacentes,
Quas uecchius quidam cagnina pace ligauit.
Illuc Tognazzus uenit, uenit quoq; Cingar,
Atq; ribaldellus fingit defendere Lanam,
Et contra Bertam conuitia plurima dixit.
Immo leuās dextrā simulat dare uelle bufettū,
Sed Tognazzus eū retinet, retinēsq; loquebat,
Quid facis o Cingar? non ac℥stamus honorem
nos homines Maschij mulieres battere somnas
Eligo plus tostum combattere contra sathanā,
Quam contra somnas peiores trenta diablis.
Quo magis illius schenā feris, atq; tracagnas.
Illa magis rabiosa tibi conuicia dicit.
Nō est ira quidem, mulierum desuper iram.
Sunt ostinatæ, stizzosæ, fraudibus aptæ,
In statu solo dicunt tibi mille bosias,
Quicquid ꝑmittūt penses attendere nunquā,
Sfazzatæ quoniam nil promisisse fatentur,
Femina sola potest orbem destruggere totum,
Tā bene sit fraudes animo componere sguerzo,
Ah sfortunati, miseri, stultiq; mariti,
Fallaci potius Maumetti credite legi
Quā prestare fidē uestris uxoribus unquam,
Cingar ait, uerum dicis uenerāde Tognazze,
Expertis uecchis nos semper credere fas est.
Sic dicens Berta cignat sibi parcere uelle,

est maselpich Roapton, idest notprotoron.

Vicinus, & visinanza differūt in prima silaba, vnde Vergilius de vicino, Nec mala vicini pecoris contagia lædent.

de visināza Saluanellus per totam merdæ visinanzam spantegat oybos.

Laus mulierū.

Prima Cingaris. Astutia.

Mulier femina quasi mulier mala.

Homines maschij, homines sapientes.

Sententia Salomonis.

Notandum.

Catiueria per astutia vsurpat. nam teste Plinio est proprietas barrerix.

Nā sic parlabat propter caparare Tognazzū.
Berta catiuerias quæ Cingaris adnotat oēs,
Quæ quoq; nō minus est quā cingar plena ma
Ah Tognazze,īquit, fallit snīa vestra, (gagnis
Vos primū Villæ sauiumq; putauimus esse,
Cui semper nostros animos committimus oēs,
Decipit & vestram cotalis opinio mentem?
Ah Tognazze meus, q̄d nā prudētia vestra est?
Sconsolata domus non est Tognazze vocanda

Dacattū, sapiēter, alij dicunt dacattum more Catonis sapientis.

In qua nulla tenet dacattum fæmina robbas?
Femina si unnquam masch io concederet illam
Quam debet partem, uita genus omne careret
Non uir supportat diri cruciamina partus.
It sine pensero natorum coniugis atq;,

Toccū frustū.

Femina sola domi restat, centumq; facendas

porcelli grugnunt.

Misterum faciet quod in unam comodet horā.
Dū sternit lectū, saltat brodus extra pignattā

Chechellār, galliuæ.

Infans in cuna pro tettas sugere uagit,
Rodere uult panis toccum maiusculus alter.

Canes latrant, &cæt.

Porcellus grugnit, gallus gallina chechellant,

Studeo, & studio.

Chiozzaq; Polzinos studiat diffendere miluo,
Ad quē smarendū nō est qui smergolet, ay, ay,

Polzinos Bresanæ.

Sic centum cosas mulier desinit ad horam.

Pullos, latine.

Qua pignata bulit torres cito detrahit arsos,

Polesinos Mantuanice.

Post hac cum semola miscet brotalia porco,
Mitigat hic puerū dans lac, pezzasq; renettat

Ay, ay, arabicū est vox quæ fit ad expellendos miluos.

Inerdolatas, mox fasciat, inde canendo
Ninat, & infantis languentia mēbra soporat.
Quo facto pit pit uadit clamando deforas,

Pit pit caldeum est, & vox qua inuitat gallina ad pitandū, id est beccandum granum, nā piton bechus dr.

Gallinæ currunt solitum beccare granazzum
En quātos pariter cito terminat illa trauaios
Si tibi nulla esset mulier fantesca, uel uxor,
Quis tibi cercaret capitis Tognazze pedoc–
Quis massarias uettas faceretq; politas (chios
Quis tandē spulicare quiret damatina camisā

Desi–

Desine iam Tognazze precor dãnare puellas,
Nam postquam cõiux tua Bertolina moriuit
Non est qui teneat te bellum, teq; galantum.
Tognazzus.
Tunc de calcagnis suspirum grande cauauit
Tognazzus dicens, cordoium Berta dedisti,
Quum Bertolinam memorasti, o scãna coradá
Omnes plus tostum uoluissem perdere uaccas,
Quam Bertolinã, tamen excipiendo Bonelam, Laudes Bertoli nę vxoris Tognazzi.
Sunt iã quinq; anni, passarunt forsitã & sex,
Quod Bertolinam sposaui mense Nouembris.
Ayme suos poterit quis nam laudare parẽtos, Laudata nobilitate.
Qui sunt de primis habitant in ualle casadis?
Sunt bene staghenti, multũ bestianẽ habẽtes, Bestianen, trisalabum.
Quo ualeant plures terra sboazare biolcas. Laudat a diuitijs.
Illa suo sensu tam maturale tenebat,
Quod centum Vaccas hora beueraßet in una. Laudat ab ingenio.
Hec quoq; bella fuit sicut iam Berta prouasti Maturale pro naturale.
Cui pirontus erat uertex, aliquando coputus,
Nasus distesus rampini more colabat. Lauda a forma.
Nec sua stricta fuit nimium bochina, qđ ipsa
Quãdo gregnabat geminas toccabat orechias
Quam pulcros oculos habuit sua testa ficatos,
Alter gazolus, niger alter, sguerzus uterque.
Quos inficatos inibi quando tenebat adossum, Laudat à doctrina.
Non bene cernebã si me guardaret, an altrũ.
Quantũ docta fuit grassos cõponere gnoccos,
Tortas, tortellos maccũ, muliebre polenta. Doctrinalis, hoc dimidium carmen surripuit.
Non biscurabo donec mea uita manebit
Splendentem manuũ pellẽ, digitosq; politos,
Absq; orechino nettare ualebat orecchias, Orecchino, auriscalpio.
Longis namq; ungis fecisse pectina corni.
At si narrarem totum nimis esset affannus,
Quando ricordor eã meme disnembolo totum Disnembolo, si ne nẽbolo maneo.
Tantos costũmos habuit, quod quisq; stupebat,

Deq;

Deq; suis membris stranium mittebat honorē.

Cingar.

Cingar vix simulat crepanti pectore risum,
Est uerum, dixit, quod talem perdere femnā,
Deberes ungis propriys graffiare masellas,
Nam tua tota domus vadit sotosora, quod illa
Instrumentorum fuit una magistra tuorum,
Sed moruit, q̄d nā magis ultra flere bisognat.
Sūma aliā quae te scaldet Tognazze morosum.
Ne dubita quoniam contato stamus in isto,
Quo genus asbaccū bestiaminis huius habetur
Sic dicens, nutat Berta discedat ab illis,
Vt cum Tognazzo restaret solus ibidem.
Berta recognoscens orditam Cingare tramā
Discedit, Baldiq; gemit fera fata mariti.

Asbaccum, abūdanter, & superflue.

Conclusio.

Iamq; Comina sede, ius est dare mēbra riposo
Stridentē iā linque piuā, mox carpe fiaschū.

Phantasiae Macaronices quarta finit.

MAGISTRI ACQVARII

ARGVMENTVM.

IN PHANTASIAE MACARONICEN V.

Barba Tognazzus habēs annos octāta galosus
Bertæ, quæ Baldi est uxor amore brusat.
Se quoq; non mancū peramari credit ab illā,
Dans quia matanam Cingar osellat eum.
Turba uilaniace gentis furiosa sub ulmo.
Ballat, & hic Cingar Bertaq; leuis adest,
Dū strepitāt pifari, pulnis uolat, ecce Tognāzzus
Illuc, nam Bertā sentit adesse, uenit.
Cingaris admonitu dum secum danciat, illa
Dispoliat, manicam iussa tirare, senem.
Omnibus iste patet nudus, sbeffatur, & inde
Se rapit, atq; suus perditur omnibus honor.
Se uendicandi causa Zambellus, & uxor
Lena simul, Bertæ stercorat ante fores.
Stercora scaltritus merdacea Cingara dunat
In Mellis formam quæ speciarus emit.



MERLINI COCAII POETAE MANTVANI PHANTASIAE.

Macaronice Quinta.

Parenthesis,

Hic poeta non in persona sua, quia senex erat sed cuiuscunq; iuuenis loquit.

M*axima nostrorum sedeat sapientia patrum,*
Et mihi, sim quamuis adolescens drizzet orecchias.
Nec dedignetur teneras audire parolas.

Sunt

Sunt quidam, fatui, storti, uecchiq́; crenati.
(Maiorem excipio partem, nã pars minor isti.
Qui totam soli reputant mãgiasse mineruã,
Quod sua calua ferat cinerosos testa capillos,
Quod ue representẽt rapefacta fronte saperũ,
Ac si canutis stet uirtus sola capillis.
Rodere non unquam p̃sentia tempora cessant,
Siue magistratũ iuuenes curare sbaiassant,
Et per inexpertos pueros tractantur honores.
Siue quod inculti sunt moribus, ac inhonesti,
Respectum nec habent sanctis senioribus ullũ
It tamen inuidia procedit namq́; galosi,
Siue musolenti bellam ammisere iuuentam.
Forma suum corpus nõ amplius ulla galãtat, Galautat, ornat
Aurea suscepit grisum cauiata colorem,
Mãrescunt dentes, auditum perdit orecchia.
Gutta cadit naso, facies crispata rigescit,
Deq́; pouinatis oculis sex putrida manat.
Pallor inest uultu, maciesq́; per ora notescit,
Qđ calor intus abest, quod frigẽt ossa, qđ liuor
Viuidus interijt, nec habẽt iam mẽbra uigorẽ.
Antiquas memorant festas teneramq́; iuuentã,
Quando stringati rectis cum passibus ibant,
Quando stringebant agiles sperone poledros,
Quando fracassabãt giostranti pectore lãzas.
Quando cupidinea ducebant mente choreas,
Quãdo uaghezabãt plures hinc inde morosas,
Hæc eadẽ memorando senes liuore tabescũt,
Extorquent facilem dictis factisq́; iuuentam,
Insidiantur ei, cum mãgiant toxica mãgiãt,
Inuidia quoniam fœtent, morsuq́; remordent.
Insuper obiurgãt quod amat lasciua iuuẽtus,
Quod ue puellares in amores tempora perdit,
Hi tamen annorum calcati pondere centum,
Gob bati, sguerci, ranci, cornuq́; sonantes

Vxorē ducunt, non quā premat athica tuſcis,
Sed freſcā, ſolidam, uel quæ ſi ſecla perirent

Secida, mādra. Sola reſtitueret noſtram bona ſocida prolem.

At cito capreolos gignit ſua uitis, & hædos
Efficit, ut gladijs non grata manubria deſint.

Maſelina.

Cingar amicitiam Baldi ſuper omnia gratē
Namq; tenet cunctas diſponit mittere forzas,
Sollicitūq; animū, propriam ſed deniq; uitam,
Qualiter abſoluat de ſtento carceris illum.
Fingit amicari uulpina fronte Tognazzo,
Deq; ſuo Baldo mala plurima dicere cæpit.
Quod ladronus erat, quod fur, qđ furca, qđ oī
Peccato plenus, quod mortes mille merebat.
Inde ſuſurranti parlabat talia ſecum.
Eſt mihi ſecretū tibi qđ mi barba Tognazzo
Dicam, ſed tecum teneas, nulliq; paleſes.

Tabachinus, eſt mediator nuntius amantium.

Dic Tognazzus ait, tibi iuro dicere nunquam,
Cingar ſuſpirans dixit, male quippe libenter
Officium perago Tabachini.
Attamē hæc quoniam fieri iuſtiſſima poſſunt,
(Quando quidē moriat Baldus) deſiſtere nolo.

Agiadiatum dicimus qui nimio dolore plorare nequiuit.

Berta tuum (dicam) ſuſpirat propter amorem,
Penſeros mihi ſæpe ſuo de pectore sborrat,
Non tantos creuellus habet certiſſime buſos,
Quantos illa ſuo fert aggiadiata magono.
Semper te clamat, ſemper te bramat amantē,
Semper flet, luget, ſuſpirat, pectora pugnis
Martellat, dubitatq; ſuum, te ſpernere uultū,
O formoſe, gridat, cur non formoſe Tognazze
Scis qđ amo nimiū te mi formoſe Tognazze.
Nec dormire ualens noctu te penſat in omni

Giuro, ſcribitur toſchaniter, zuro macaroniter Iuro latiniter

Cuius multiplicat cum tantis paſſio dois,
Quod tu giurares illam sborrare fiatum.
Illam ſæpe quidem uolui diſtollere tantis.

De

De pœnis, reperi semper fecisse nientum,
Immo foco potius iungebam ligna brusanti.
Qua propter de parte sua tibi porto nouellam,
Aut imbassatam si uis suus esse morosus.
Mox Baldo extincto si uis suus esse maritus.

Comina.

Istā Cingar aquā pedibus dat barba tognazzi
Vt mattus senior plus altus crescere posset.
Nec penses quod tunc in beccum rideat illi,
Sed tales Cingar despiccat ab ore parolas,
Quod cētos credo credisset alhora Tognazzus.

In beccum, in præsentiam.

Comparationes.

Quali prestezza tordus se in rete uiluppat,
Aut ad porrectum trat Rana gulosa buconē,
Parua uel ī tenuē trapolat se musca ragnadā.
Sic modo Tognazzus Bertæ ueschiatur amore,
Incipit alquātum curuam distēdere gobbam,
Et digitis boccam totam forbire bauosam.
Mox abrazzato geminis ter cingare brazzis,
Esse potest, inquit qđ me mea berta, morosum
Optat? contentor contentor mille fiatas.
Illa paragonem de me si fecerit ullum,
Impresonatum lætabitur esse maritum,
Et centum mortes in Baldo trahit ognhoram.
Nec susum penset quod sim gobbusq; macerq;,
Et mea quod centū facies rapefacta det annos
Forza datur iuueni, uecchiorū gratior ars est,
Hoc in contato nullus merichior extat,
Sunt mihi terrarū grossarum quinq; Biolchæ,
De quibus ognanno multū guadagno ricoltū.
Est mea grassa inquam possessio totaq; Vallis,
Vallis non per quam ranacea turba coaxet,
Non qua zenzalæ corrupto ex aere nascant,
Ac omni sero cantent dicendo cosinum,
Villanas figant & acuto cuspide gambas,

Credo qui cantatur in ecclesiam.

dixit parua musca, nā magna, quæ tauanus dicitur frangere rete.

Longus sermo Tognazzi, in quo diuersimo se laudat & primum de forma corporis.

Pensare fusum, subtiliter vestigare.

De diuitijs.

Biolca Mantuanice.

Tornitura Romagnice.

Pious Bressanice.

Moza Feraria-ce.

Vt

Pompofia vallis. Vt facit in media Pompofia ficca lauacchio.
Galta, maxilla. Ast ibi uina quidem auantegiata recoio,
Dulcia, garba, rubras facientia deniq; galtas.
Volta, & Celatica. Quid ualet ad nostrũ uinũ Vernazzia Voltæ?
Aut ea qua tãtum Breßana Celatica brauat?
Romagna. Extollunt alij colles uallesq; Romagna,
Benacus. Dant alij uantum Benaci circa Riueram,
Terra lauoris. A Napolitanis laudatur terra Lauoris,
A Zenouisanis sua littora plena cedronis,
Nostra sed auanzat cũctas poßeßio Cingar.
Vaccas tres habeo, Ceruãq;, Rosamq; , Bonelã,
Quarum nunc unam Tauro succumbere feci,
Quæ faciũt multas Mascherpas, atq; cagiadas,
Et sua quatrinos cumulat mihi socida plures,
Melegazzus, harundo meleghe. Nõ, mihi de paia domus est, nõ de Melegazzis,
De coctis immo tota, & fabricata matonis.
Inter matonẽ & quadrellum differẽtiã alias dicemus. Tecta couertãtur centũ quadragintaq; cuppis.
Quicquid zapãdi, uel quicquid in arte coquina
Esse potest habeo, uangas, Rastilia, zappas
Marrazzos, risigas, sicos in aratra gumeros,
Inde segursellos, Manarinos, inde badilos,
Zocchus, est arboris maior radix. Cũ quibus & soleo zochos schiappare secures
Tenaias, chiodos, triuilinos, atq; triuellas,
Ferraq; segandi, Gramolam, Misamq; farinæ,
Burrattos, Descos, Seddacia, mille pignatas
Quas narrando tibi facerem fastidia Cingar
Hæc ad comandum nostræ sunt omnia Bertæ,
Laudat se de doctrina. Doctor aratoria cunctis sum dictus in arte;
Doctor & a stalla graßum portare ledamum.
Omnibus in feris plenas scio mungere uaccas.
Caseum, bissilabum est. Inq; rota formam caseum preßare cagiatum.
Non Placentinis Malgaris, siue Casaris
Malgarus & casarus sunt magistri vaccarũ, & Stampatores pouinarum. Inuideo lactis niuei menare botirum.
Herbida prata scio cum falce taiare seganti,
Scauedagnare agros, foßatis cingere campos,
Subq;

Subq; iugo drizzare boues, usareq; Manzos,
Sunt mihi de paia uel sex uel quinq; palazzi, Non quos ipse habitabant, qa superius dixit, &cæt.
(De quis nō unam petrā bombarda cauaret)
Sunt mihi porcilli tres uirdo uimine facti,
Inq; meo solum cortiuo deputo fornum,
Quo Cipada suas informat tota pagnoccas, Pagnoccas Romanice.
Totus communis fornum sibi seruit ad istum.
Sum Tognazzus ego, sum qui nutrisco Cipadā Laudes Cipade
Crede mihi non est tellus æquanda Cipadæ.
Taiat abundanter frumentum, lignaq; boschi,
Mungit abundāter uaccas, facit inde ricottas.
Suntq; Cipadenses apti studiare terenum. Studiare, dispo nere.
Alter habet uantum melius fossata cauare,
Alter arat, bassumq; tenet subarādo Gumerū. Gumerus, & vo mer.
Alter scit melius uignæ podare maderos,
Alter scit putridis stallam netezare boazzis.
Pinguisicoq; ruto campos implere strinatos. Strinatos dixit, quia stipulas incendunt.
O magnam uirtutem hominum.
Attamen istorū sum primus, sumq; magister. Fo, fas, fat.
Et minimā cosam nō farēt absq; Tognazzo.
Nil nisi Tognazzus per uillas dicitur omnes,
Nil nisi Tognazzus de cunctis rebus abundat.
Sū prudēs sauiūq; caput, sum dico Tognazzus.
Quæ sine conseio magni sunt facta Tognazzi,
Crede mihi tandē tandē male facta trouātur.
Quæ cum conseio sum mastigata Tognazzi,
crede mihi bona sunt, nec possunt fallere iotā.
Extat euāgelium parlat quecūq; Tognazzus.
Sed quid butto uiam tempus dum talia parlo?
Tu Cingar nosti, tu scis, tu cuncta prouasti.
Vade precor, Bertamq; troua, cui talia dicas
Tognazzus mandat tibi tantas Berta salutes
Quantas sub cælo uideo splendescere stellas,
In nostro quantas numero boscamine foias,
Quantas brusauit Piamonti patria strias.

Millanus quātas bene grassas uendit ofellas.
Quantas Mantoa capiunt in ualle folengas,
Per uenetū quantas spendent canalia bezzos,
Maro sic debet scribi. Et bastardellos quantos da maro quotannis,
Et uermocanos quantos trat Bergamatellus,
Quantos Bardella piccauit boia ladrones,
Quantaq; poma uiā buttat narancia Naples.
Naples gallice, nā latine Neapoli. Quantaq; de marchis dicit mēdacia uecchius,
Quantos Villanos opus est ad argina uadant,
Quot cōtrabandi Venetā faciuntur ad urbē,
Quot falsas uendit speciara bilantia robbas,
Quot ladri zaffi, Daciari uel molinari,
Et quot gallinas robbasti deniq; Cingar.
Dilectæ Bertæ tantas ego mitto salutes,
Cui totam milzam, totā quoq; trado coradā,
Nam superius innuit Vaccam istam super omnia sibi grātam esse. Donoq; me steffum, robbam, uaccāq; bonelam,
Sic ait, & rursum braxzato Cingare magnū
Suspiramentum pulmone cauauit ab imo.
Cingar promittit, quamuis attendere nescit.
Vera barreria est, ut inquit Seneca, quod promittitur non attendi. In pressam uadit, Bertamq; trouare caminat.
Tognazzus remanens in stroppa sistere nescit
Spudazzatq; super palmas, sursumq; brasolas
Calzas bistirat stringa mollante rapatas.
Mox digitis querit buscas subtiliter omnes,
Pelucca melius vilano conuenit quam cauiata, nam cauiata citadinis. Ostentatq; albam circum colare camisam.
Sepe manu palpat testam, canamq; pelucam,
Et flauos amor esse facit parere capillos.
Cæsaries regibus & Signoris attribuitur Fo, fas, fat. Foppas crispata studiat distendere frontis,
Et lixiazzo uultum fat stare tiratum
Sberzatos oculos tum Berta purgat amore,
Quos miser expleto uix ter purgasset ī anno.
Smerdolat, purgat. Nasum tangentē barbozzū smerdolis ungis
Qui colat, & cornu sosiat, porrisq; rigescit.
Pulchra descriptio nasi. Bucca tumet longeq; cadūt in pectoraq; bauæ
Vt quandoq; boues uidistis fundere uecchios,
Currit

Currit ad albiolum, uel dicunt esse canalem,
In quo uillani uaccas beuerare solebant,
Hic bene se spechiat Narcisi more galantũ,
Hic quoq; barbozzo nasum uidet esse tacatũ,
Hic ue pouinatos oculos, semperq; bagnatos,
Hic desdentatas se mirat habere ganassas,
Hæc tamen ob nimiũ formosa uidetur amorẽ.
Aptatur capiti musolenta bireta taeri,
In cuius mazũ rosa candida ponitur orlum,
Panes cum laterit coltellum taccat habentem
De busali cornu manicum, uirasq; dotonis.
Cuius stringa ligat pendentem rossa guainã.
Præterea borsam triplici uolitante fiocco
Fert bagarottis plenam leuibusq; doinis.

Orlum, a quo ordulum, pro plica.

Doto dotonis, etiam oto otonis, sed melius doto.

Viras, ornamenta gladij.

Bagarottus, & douina sunt nummi viles.

Berta.

Interea Cingar Bertam simulare comandat,
Quæ bombasinam uestiuit protinus albam,
Seq; galantinam plus consuetudine fecit.
Pectinat, et triplici cõnectit in ordine trezzas
Atq; cerudellos ferro facit, inde fogato
Scufia trezzonem tremolantis plena couertat,
Lenzaq; per mediã frõtẽ bene cõmoda fulget.
Post hæc uelamen gialdi subtile coloris
Imponens humeris super ubera lactea traxit,
Pectoreq; in medio gucchiã transfigit ahenã.

Cerudellos, cincinnos.

Tremolanti dicunt, quia semper tremant.

Masèlina.

Ergo dies festus quo uillica turba sub ulmo
Ballabat pifaris Pina sociante duobus,
Affuit, huc Cingar uenit, quẽ Berta secuta est,
Atq; ad ballandum ceperunt mittere mentẽ.
Hic uarijs homines foggis saltare uidebant,
Sed tanto strepitu quod tellus tota tremebat,
Alter cum saltu se portat in aera tundo,
Alter se circum bisterq; quaterq; uolutat,
Alter dum saltat pede tangit terga puelle,

Baldi descriptio.

Is rectum caram saltum facit ante morosam,
Isq; capriolam faciendo per aera pirlant,

Danzarum genera.

Ille rotat multum propter straccare puellam,
Ipse pagās ballū clamat, mihi fac matarellū,

Vt, septemque triones.

Fac spingardoiū, fac spagnā mazzaq; croccā,
Fac ue feraresam, fac muscā, fac ue pauanā.
Alter sed nimio factus sudore fiaccus,
Boccalum uacuat ternos spendēdo quatrinos.
Plus ueniunt pifari semper bofando gaiardi,
quos retridare audis līgua fifolāte pauanas.
Nec fallare sciunt stoppādo foramina quæq;.
Interea ballus cessauerat, ut solet, unus,
Aspettant pifari quis ballum soluerit altrum.
Iamq; locū propriū tūc fœmina quæq; piarat,
Sugabant omnes faciem sudore colantem.

Calx ronche intelligitur.

Cingar habet roncā, subito quā calce ficauit,
In terram spissasq; cauat de corpore faldas.

Lasenam Mantuanice.

Tū grauidā numis bursā trahit extra lasenā.
Sexq; carantanos pifaris sborsauit auaros,

Sicam Bressanice.

Namq; bonā tenuit nunquā sua tasca monetā

Auaros, defficientes.

Inde cauās brettā, curuūq; pigādo zenocchiū,
q̄ plus formosa ē damigellā primus abiappat
Cætera mox alias mulieres turba receptat.
Cingar corrazzam quoniam spoiarat onustā
In giupparello leuis est, multumq; legiadrus,
Ballarinus erat qui uilla primus in illa,
Danzas piffaricas iotam non præterit unam,
Ireq; post ballum multum gridando comādat.

Comparatio.

Qualis caprettus quū sol damatina leuatur,
Egreditur stallam materno lacte cibatus,

Morbezzat à morbiezza descendit, pro luxuriat.

Vndiq; discurrit, morbezzat, guizzat in altū
Nec ualet (ut dicunt) in brena stare ligatus.
Talis Cingar erat, posuit qui quādo corazzā
Tres equidem cubitos balzos saltabat in uno.

Mirabant

Mirabant omnes bene sic ballare uidentes.
Nũc drittus saltat, nũc tundus, nũc pede solo.

Gosa.

Iăq; Tognazzus adest, palmăq; tenebat utrăq;
Galloni iunctam, gobbas nec habere uidetur.
quas natura negat uires, amor arte ministrat
Distesas portat gambas, calcesq; legeros,
Vix premit in tenero uadẽs sabione pedattas.
En contra Bertam gambis se plantat apertis,
Mazzuccusq; senex illam doniare comenzat,
Ascortus talem tractũ iam Cingar adocchiat
Atq; serans oculum Bertæ sapissime cignat.
Pratica Berta prius quæ norat Cingaris artẽ
Stat uerecũda, tamen modicũ releuabat ocel-
Oreq; rediduló blădas motabat ochiadas. (los
O, pensare potes, quales in corda fasellas
Vel sbolzonadas Tognazzus alhora piabat.
Pallidus in facie cum suspirare uolebat,
Spudabat liquidos, et largos (oybo) macagnos,
Nũc stat supra pedẽ dextrũ, nũc supra sinistrũ,
Sepe caput gratat, non motu saldus in uno
Staffet quin se se mouiffet trenta fiatas.
O pissasanguis, secum parlando susurrat.
Heu cur bella meum scorias Berta magonem?

Pedrala.

Cingar auisarat iam plures ante uilanos,
Vt posset sguaitare senis monimẽta Tognazzi.
Omnes parebant risi mangiasse manestram,
Sed non credit eos pro se ridere Tognazzus.
Immo magis cignat Bertæ, cui Berta recignat
Bertaq; dat bertam bertezans, atq; bretonăs.
Dum Cingar ballat Tognazzo uadit apressũ,
Et compagnonem faciens sic parlat ad illum,
Voce tamen bassa.
Quid tardas? q̃d stas? nõ Bertă cernis adesse?

G. *Illa*

Notandum.

Sabio. Arena.

Doniare, mirãdo voluptari.

Macagnus græce, Barbellus latine & est sputum vischiosum.

Sguaitare, vidẽdo notare, & sindicare.

Risus, genus leguminis, prouerbium est.

Dare bertam, est deridere.

Bretonare, est more bretoni tosare.

Bretoni, nãque populi sicut ẽt

Francesi cauiatas circuntosatas ferunt, inde tosare & bretonare, pro sbeffare vsurpatur.

Ille cupit (si uis) tecum ballare parumper.
Sic dicens passat, monstrat dixisse negottam
Non bis Tognazzus sibi cosam dicere fecit,
Ad Bertam celerat, si uult ballare dimandat,
Illa bochinellum faciens blandumq; musinum,
Et caput inclinans leuam porrexit apertam.
Vnde simul strictis manibus danzare comezāt

Risaia, est risus qui fit cachinānando.

Continuo grandē commouit quisq; risaiam,
Claudere sed risū Cingar iubet hic, iubet illic
Nam sic ridentes potuissent rumpere festam.

Togna.

Cingaris illic erant Cōpagni quinq; giotones,
Brunellus, Francus, Sguerzus, Schiauina, Briosus
Qui semp̄ uerbis alios schernire parātur.
Tres quoq; strepadas cordæ ratione dedisses

Carpitur poeta quo aliquando utitur trocheis pedibus in carminis dactilis medio, ut hic confessione, sic Vergilius & alij vates fecerunt quanto magis macaronicus.

Illis, absq; alia Confessione picandis.
Ergo bretonabant illum sub murmure basso,
Sed non tam basso, quin sentiat omnia clare,
Alter ait, quantam destrezzā mōstrat habere
Alter ait, cernis quantum deschena leuetur?
Alter, sic leuis est quod non disrumperet ouū.
Alter, saltaret melius nisi uesta grauaret,
Alter ait, uerum dicis, se namq; legiadrum
Monstraret melius, Bertaq; placeret Amighæ.

Deschena, aduerbium, sicut per forza.

Tognazzus sentit, magis unde gaiarditer altos
Fert garlatones, Cœlumq; tocare uidetur.

Amiga, pro morosa.

Credit Euangelium quicquid dixere giotones
Zorneiam spoiat subito stringasq; relentat,

Qui nimis amat, nimis credit.

Et porgens Braxxū Bertæ tirrare comandat,
Sicut ab alterius tirrare solemus aiutto.
Illa pians ultro manicas ultrasq; Camisæ,
Improuisa tirat non aduertente Tognazzo.
Qui dū Bertæ cauat, sentit seguitare Cami ā,
Et reparare uolens hūc casum paup̄ homazzus
Millibus in strazzis testam uilupatus habebat,

Sed

Sed magis illa tirat, sequitur magis iste tirãtẽ.
Valdeq; sbraiabat, lassa codesella camisam,
Dumq; trahebatur non se, nullumq; uidebat.
Semispoiatus erat, stringasq; molauerat ante,
Ergo cito properat Cingar, braghaq; picaias
Soluit, & altandẽ nudus miser ille remansit,
Vsq; ad garlettos cascarunt illico strazzæ.
Tanta repentinam capit risarola brigatam,
Quod centos illic Marguttos esse putasses.
Ille scapare uiam uoluit monstrando pudẽda,
Sed uelut in stuppa polesini pes gatbiatur,
Sic ad calcagnos bragas Tognazzus habebat:
Arripiẽs cursum talem dedit ante stramazzũ,
Quod tamburrini sonitum sua pãza sonauit.
Concurrunt omnes nudũ guardare Tognazzũ
Oy oy, clamabant, oy oy, quæ cosa nouella.
Ipse manum supra numos bursamq; tenebat,
Qua propter uergogna suũ morzauit amorẽ,
Omnia uincit Amor, pudor hic supauit amorẽ.
Biscurat Bertam se uergognando morosam,
In pede saltatus currit uelocius Hædo,
Iam non lõgauas monstrabat habere pedanas,
Non unquã uidi tã præstum currere Gattum,
Qui sine cautela cupp;is cimigasset ab altis,
Sicut mirabant illum sgombrare paesum.
Perueniens tandem solus sub tegmine fagi,
Propter uergognam caput in tellure ficabat;
Tollere non audens frontem sic ista loquebat.
O Tognazze senex, quæ te disgratia capit,
Nõne tuum cernis pauper meschinule scornũ?
Nuper zanzabam mulieres esse ribaldas,
Et deberemus Macometti credere legi
Plus quã falsiloquis mulierum credere frappis
Et uideo Bertam me nũc trapolasse gaioffam?
Heu quia pensabam super omnes esse beatus.

Picaias, cordiculas quibus nectebat femoralia.
Altandem, denique.
Marguttus interijt, ut supra dixit, propter risum.
Biscurat, obliuiscitur.
Pedana, genus morbi, qui venit in pedibus senum.
Cimigare, tommare.
Fugere.

At fuenturatum, me foiant, meq; caleffant.
Consiliare scio reliquos, consciare meipsum,
Nescio, culpa mihi sola est reputanda gazano.
Consilium nihil est, hoc si quis negligit uti,
Cōsilium male dat, q̄squis male suscipit illud.
Me stessum uesch iasse pudet, nec amore super-
Errorē noui, donec uergogna capellum (chio
Sustulit, eq; meo caschauit Mascara uultu.
Post damnū pentire ualet mihi crede nientū.
O nimis impropriū senibus, Vecchisq; bauosis
Pectus amoroso pienum gestare brusoro.
Id ratio prohibet, tenuis non sustinet ætas,
Fert ad Calcagnos mortem guardatq; sepul-
Togna. (chrum.
Dum sic uilificat se met, Zambellus ariuat,
Cui proprios gestat pānos, simul inde recedūt:
Tres stetit is menses omnino latenter ab omni
Compagnia hominū, tamē alto corde cadenā
Rodit, disponens se uindicare, nec ipsa
Cingaris & Bertæ fallax iniuria cascat.
Vtilitas sed quæ fuerat scornasse Tognazzū,
Est quod erat Villa primus reputatus in illa,
Creditus at cecidit tūc omnis Cingaris astu.
Monstrabatur enim digito si quando patebat;
Et sic cessauit Reuerentia barba Tognazzi,
Cingaris & melius posset masinare molinus.
Qui quoq; amicitiam Zambelli curat habere,
Qualiter hic etiam sibi posit rūpere collum.

Notabilia dicta cōtra vecchios amorosos.

Mascara, larua, pro uolamine pudoris.

Fallax, quia nō iniuria videbat

Creditus, autoritas.

Monstrari digito, bertezari.

Altera Cingaris astutia.

Is postquam robbæ se uiderat esse patronem.
Non ualet in stroppam restare factus alegrus.
Ponere ceruellum statuens in rebus agendis,
Disponensq; casam multis richire facendis,
Vxorem clamat Lenam, nos, inquit, habemus
Ad corpus lāchi ueluti squaquarare ualemus.

No.i

Non ultra faciet nos Baldus uiuere stento,
Stat quia sub terra plus strictus gatte ligatus Gattus, & gattes.
Nos mercantiam pariter faciemus, ad urbem
Quottidie uadam plures trafegãdo richezzas
Lena superbendo dixit num care marite
Scis quod me uoluit cũ stanga battere berta?
Ast ego cum rocha lino brusante cucurri
Post illam, feciq; sibi monstrare quadernum.
Zambellus dixit uoluit te battere Berta?
O mala fomna quidẽ, uindictã uis faciamus?
Hic mihi despettus non soportabitur unquam.

Togna.

Ergo simul tacitis se accordauere parolis,
Circa quinq; horas pariter de nocte leuabant
Ante foras Berta pleno cum uentre cagabãt,
(Parce rogo lector mea si nũc musa puzabit)
Berta leuãs strato semper damatina catabat.
Lombardis quais sua limina p lena nouellis. Lõbardis quais ut apertius intelligas, stroncis.
Cingar habens caudã uulparum more pelatã,
Istam Zambelli confestim iudicat artem,
Quottidie merdam uasum mitebat in unum,
Donec complеuit tali de stercore totum. Merda merdæ, stercus hominis, cuius deriuata quære in catholicon.
Berta stupescebat, causamq; requirit ab illo,
Sed cingar noscẽs qđ femina uas sine fundo ẽ,
Semper dicebat cognosces deniq; causam.
Mox illam tollens urnam de fece plenam, Notandum.
Desuper infudit completum melle bocalum,
Quod tu iurasses merdam mel esse, lecate,
Hancq; sup tollẽs humeris se drizzat ad urbẽ.
Ecce procul uidit Zambellum, protinus illum
Aduocato dicens, o mi Zambelle sodalis,
Expecta quæso, non me cognoscis adunca?
Sũ cingar, tã grandẽ qui tibi portat amorem. Modus parlandi familiariter.
Quomodo stas uel tu, uel quomodo stat tua lena
Tocca manũ, certe mihi pares eẽ gaiardus (na

Atq; bonã chierã facies tua monstrat habere,
Zambellus, sed ait, sum sanus, sumq; gaiardus
Sed quid nam portas barilotto Cingar in illo?
Tunc fingens Cingar se straccum dixit aiutta
Istud aiutta precor de spallis mittere pondus.
Zambellus positis manibus discarigat illum,
Inde rogat uaso rursum quid portet onusto.
Cingar respondet monstrans parlare dauerum
Berta tibi mandat grates charissime centum,
Quam tu fecisti tanto de munere dignam.
Quãuis aeternum modo te pensauerat hostem,
Cugnatum tamẽ esse bonũ cognouit adessum.
Nãq; super limen quicquid de nocte cagabas,
Omnes matinas soium ponebat in istum,
Et nunc spero quidem multos acquirere numos
Zambellus stupefactus ait, doh codesella,
Tu ne meã poteris uendens spazzare carognã?
Me buttare uiam faceres bragalia Cingar,
Pensarem te posse meam si uendere merdam.
Cingar ait, cur non? prouã Zambelle uidebis.

Comina.

Ergo dum parlat traxit de fora spinettum,
Qui siccabatur medio fundamine uasis.
Ecce tenella foras cito fezza liquescere cœpit,
Zambelliq; suo nasum percussit odore.
O pissasanguis, dixit, iam stoppa foramen,
Stoppa rogo Cingar, merdas odor indicat esse.
Sed quis castronus merdã comprabit adessum?
Cui Cingar, mecum uenias, miranda uidebis.
Et ponens illum Zambelli tergore soium,
Ante caminabat creppans in pectore risu.
Vt fuit in piazza mercatus ubiq; patebat,
Namq; die sabbath mercatũ Mãtua promit.

Mercati descriptio.

Cernitur hic uarijs de rebus maximus ordo,

His

Nota qđ Cingar nõ mentit, sed differt ĩter bosiam & barreriam.

Soium genus uasis uinarij,

Bragalia, magalia, mapalia, pluraliter solũ reperiuntur.

Nota quod poeta hoc vocabulo merda non vtitur nisi in personam Zambelli, qui rustice loquitur.

Sabbath indeclinabile.

In monstra aduerbium demõstrantis.

Hic mercadantes ponunt in monstra botegas,
E quibus argentum canzantus, seta, uelutum,
Zambelottus itẽ, Rasus spectatur, & aurum,
Et centum panifini, uaryq; coloris.
Hic quoque Brettari diuersas ordine brettas
Distendunt Italas, Frãcesas, atq; Spagnardas,
Bretarolorum satis es mea Mantua plena,
Vnde patet quod multa uiris ibi lana tosatur
Hic centum scatolas Speciarus quisq; doratas
Emittit grauidas coriandibus atque pignolis,
Mandulibus, Rancis, Anicis, dulciq; canella.
Garzonesq; parant Muscas dulcore lecardas,
Discurrunt celeresq; uolant, trutinasq; mane-
Et cũ pistillo mortaria bronzea chioccãt. (zãt,
hic quoq; sparpagnãt Merzadri multi facẽdas
Stringas, cordones, bursellos, cingula, guantos,
Taschellas, scufias, scufiottos, cultra, guainas,
Carneros, fibias, calamos, calamaria, cordas,
Pectina, specchiettos, zãporgnas, atq; sonaios.
Hic Boccalari sua uasa tulere uidenda.
Bocallos medios bocalazzos, & bocalinos,
Vrces, urcettos, scudellas, & scudelottos,
Caddinos, bastas, piattos, orinalia, cuppas.
Hic calzolari scarpas monstrare galantas
Solicitant, soueros, pianellas, atque stiuallos.
Ferrari pandunt cauedones, atque Gauatos,
Martellos, falces, gradesellas, ac podarolos,
Hic Salcizzari plenos de carne budellos,
Vel ceruellatos, zalcizzas, uel cagasangos.
Hic Hortulani rauanellos, porra, capuzzos,
Verzas, lactucas, ac alia fresca, salatas,
Turba Vilanarũ genus omne polaminis afert,
Pullastros, ochas, gallinas, ac anedrottos,
Hic quoq; Fornari schizzadas, atq; fugazzas
Panẽ buffetũ, baricocola fresca, Bucellas.

Mercadantes magni.
Brettari.
Speciari.
Canella Lombardice.
Cinnamomum latine.
Merzadri.
Zamporgnas, alio nomine rubebas.
Boccalari, figuli.
Dixi superius, ꝙ ueluti latine deriuatiua differentiari possunt a suis primitiuis, ut lucẽ & lucernã, flagrum & flagellum, sic macaronice, Boccalus & boccalinus, scudellas, & scudelotos, oportet enim surripere, & adiungere consonantes, ut stent carmina.
Cagasanguis Veroniace.
Beroldus Mantuanice.
Zamborguinus bressanice.
Sanguanazzus communiter.
Fornari.

Formaiari. *Hic formaiari formaium pondere spazzant,*
Casos,casettos,Mascherpas,atq; botirum.
Zaratani. *Hic zarattani bisolos,dentesq; cauatos.*
Petras uessigæ,radices,ferra,bragheros.
Tornitores. *Hic tornitores fusos,capisteria,Rocchas,*
Atq; pinas illas per quas christeria ponunt.
Aurifices. *Hic stant Aurifices diuersas uendere gioias,*
Zibbetiari. *Et qui zibbettum,Muschiũ,uendũtq; coronas.*
Hic homines tandem uenalia quæq; tenebant,

Gosa.

Cingar Zambellum gestantem tergore fezzã
Dissimulans frõtem speciarum duxit ad unũ.
Cui dixit,primam cito pronũtiando parolam,
Vultis Apum merdas istas cõprare magister?
Ille Speciarus ridens ea uerba notauit
Quod dicebat Apum merdas mel esse dauerũ,
Ac illũ quemquam cito iudicat esse Bufonem.
Zambellus tamen hanc non intellexerat artẽ,
Tunc prestus digito Speciarus melle ficato
In boccam posuit stercus tangendo nientum.
Ambo mercatum faciunt,tres accipit aureos
Cingar, qui fingit pocham tirrasse monetam.
Inde speciarus uasum uacuare uolebat,
Vnde magagna statim patuisset Cingaris om
Ipse sed extemplo respondit desine soium. (nis
Nunc redeam quasdam uado cõprare facẽdas,
Inde meum reddes uasum cũ uenero nũc nũc.
Dixerat,& clamãs Zambellũ prestus arancat,
Sic & osellatus speciarius ille remansit,
Nam uulpes etiã Vecchiæ quãdoq; trufantur.

Conclusio.

Quintus habet,finẽ,metris male quippe dola- (tum,
Non ego plus habeo cantandi,credite, uoiam,
Versificare quidem non est scolare piombum.

Explicit Macaronice quinta phantasiæ.

MA-

MAGISTRI ACQVARII ARGVMENTVM.

IN MACARONICEN SEXTAM PHANTASIAE.

Carpitur inuidia Zambellus propter aquistũ,
Quem fecit Merdas Cingar habendo suas.
Mercadantiam talem exercitare parecchiat,
Complerat grandem stercore iamq; Tinam.
Cuius Materiæ Brentam portaui ad urbem
Quis comprare uelit stercus ubiq; petit.
Sentit eũ, stangamq; rapit Speciarus, & urnã
Frangit, Zambellum fæx liquefacta lauat.
Plæbs ruit, aprehndunt Zãbellũ, carcere ponũt
Consueta Cingar quem tamen arte cauat.
Præterea Lenæ parens, it uendere uaccam,
Cingar eam hebrea ueste copertus emit.
Est data Mercati pro mercé credentia ligni,
Namq; in credenzam tollere iussus erat.



MERLINI
COCAII
POETAE MANTVANI
PHANTASIAE.
Macaronice Sexta.

FERTE cito famuli pennam, calamare, papirum,
MATERIALE uenit scribendi grande talentum.
FVGERAT omnis enim mihi nuper uoia canendi,

Et mea

Et mea stridebat raucum sordina blilirum.
Berta.
Maxima Zambellum marauilia cęperat ergo,
Mercatumq; sua vult exercere me merdę
(Parce iterũ lector timui proferre, sed ipsam
Prosequor historiam per uera uocabula verã)
Cingar non redijt speciaro melle gabato
Zambelloq; dedit cantonem ualde stupenti,
Qui cagat ĩ bragas, modo nãq; comederat uuã
Quã seruare uolens per forzã continet intro,
Cum qua disposuit magnos implere Tinellos.
Tres emit interea pro Lęna coniuge fusos,
Cipadaq; illos misit pagando Fachinum,
Tres ualuere trinas fusi, portatio quinque,
Postea de salsa comprauit carne mezenum,
Quem redeundo casam multo sudore ferebat,
Sed iam non possens tantam sofrire fadigam
Hunc straßinabat p terrã more carognę,
Solaq; restauit sine lardo codiga tandem.
Lęna gridans illi conuitia plurima dixit
Inde tracagnadis multis sua terga poliuit,
Nã pluuię semper post magna tonitrua cascãt
Sed uix Zambellus pistas susceperat illas.
Compleuit largum merdosa fęce Tinazzum,
Cingaris officio sperans acquirere numos.
Quottidieq; facit secreto cagare uilanos
Nam timet hãc artem fortaßis Lęna uetasset
Si pro uergogna spreuere cagare Vilani,
(Quanuis ignorẽt quid sit uergogna gaioffi)
Illos pagabat multas donando catrinas.
Omnes ignorant quid uult ea dicere merda.
Vndiq; per gentem uadẽs Zambellus amorbat.
Gosa.
Ergo die quadam tulit ipso in tergore zerlam
Plenã de (hasta) uel possunt dicere Brentam.

Sordina parua piua.

Memerdæ, non tam cito proferre, me inceperat, quod pe.ni-tuit, tamen cõpleuit.

Dare cantonẽ, uel piãtare, metaphorice signi ficat aliquẽ fastidiosum tergi uersando dimittere.

Mercãtia Zambelli.

Carognæ cadaueris.

Non pagat baiulum aliquem qui gestat mezenum, & fusos minime ponderosos pagauit gestantem.

Sic Socrati accidit, idest post rumorem vxoris, pluuia brodalie secuta est

Notandum.

Catrinas, piamontense dixit

Basta, idest intellige ne fastidium patriam.

Quam spallis gestat, zerlotti sicut usantur,
Acuti Bressanam cernis portare per Vrbem,
In plateam ueniens sbraiabat eundo p omnes
Cont radas, o, quis uult hãc comprare tenellam
Atq; saporitam merdã? modo fecimus illam,
Et grandem uobis faciam uendẽdo placerum.
Sed mala guidabat pouerũ uentura, quod ipse
Ad quartam stradam speciarũ præterit illum,
Quẽ modo scornatũ Cingar maledettus habe-
Quãdo Zãbellũ, alla merda, dicere sensit (bat;
Pistonem piperis iecit, stangãq; piauit,
Inde pianinum uadens post terga cucurrit,
Atq; super sputans palmis, bastone tenaci
Percussit Brentam magno reboante fracasso.
Qua resoluta suis spexzatis undiq; circhys
In fasses iuit, mox stercora tota liquescunt,
Per faciemq; fluunt Zambelli nociferantis,
Totus de merda parens hinc inde scapinat,
Sed speciarus eũ non lassat prehndere possam,
Perseguitat, cessatq; nihil menare tracagnũ,
Exclamat miser ille gridans asinaliter oyme,
Nunc istam nunc illam se inficando botegam.
Turba puellorũ currit, day day quoq; clamat,
Saxa tirant, rauas marzas, & mille carognas.
Currunt brettari semper treppare parati,
Matronæ testas extendunt supra fenestras.
En caualerus adest zaffis seguitantibus illic,
Quid sit hoc immensum uult brauus noscere
Accusat ibi Zambellus p speciarũ, (murmur.
Quod sibi uendiderat merdã sub melle latentẽ.
Zambellus negat hec dicens, non ille dauerum
Sũ messere, fuit Cingar ladrus atq; giotonus,
Quem prætor uoluit tantas piccare fiatas.
Sed quando uidit signum barisellus apertum,
Zambellus quoniam factus de stercore paret,
Hunc

Scapinat, fugit Possã, quietem

Day, day, descazzantis est.

Inter Caualerũ & Barisellũ nihil distare magister cornacchia dixit, tamen fasanellus contradicit.

Hunc in communi presone serare comandat

Altera Cingaris astutia.

Cingar id aduertens nõ restat more tacagni,
Lenam Zãbelli femnam retrouare cucurrit,
Quæ tristis flebat pro cari sorte mariti,
Nec scit partitum quo uinclis liberet illum.
Cingar singultu crebro sua lumina sugat.
Zambelli quoniam destinum plangere fingit,
Et confortabat tamen illam uoce trementi.
Ecce repentino ueniens quoq; Berta uiazo,
Denotat offensa; domenticase uetustas,
Currit in amplexum rauco sbraiore sororis,
(Sic ordinarat Cingar bastardus ad illam)
Dicens, heu quia cognatum pariterq; maritũ
Appicare meum statuunt, plantareq; forcas
Supra Tyum uidi, quẽ cara sorella guadagnũ
Zambellus fecit? uadat seguitare Tognazzũ,
Dic, q̃d aquistauit? tuus, et meus ecce maritus
Quomodo Tognazzi sola caggione picantur.
Talia dasennum bona femina credidit esse,
Cingaris altoriũ supplex Marzocca dimãdat,
Cingar ait, contentor ego mea Lena sorella
Zambellum Baldumq; simul riscodere nostrũ,
Sed lex difficilis comãdat, iusq; palazzi,
Carcere nemo tratur nisi Bursa piena uoda-
Attamẽ ecce meã tascã, donoq; meipsum, (tur
Zambellũ nostrũ quam prestius extra cauemus
Tu quoq; si quid habes numorũ tradere debes,
Denaryq; tuis paucis, Bertaq;, meisq;,
Zambellum forsan de Furcha morte cauabo,
Namq; susurratur quod nempe picabitur ille,
Me miseram tũc Lena gridãs festina uolauit,
Quantos in cofino dinaros inuenit, afert,
Qui sunt ex numero Marcelli forte triginta.
Cingar eos brãcat subito, numeratq; negottã.

Tacagnus fuit homo sceleratissimus omnium.

Partitũ, modũ vel guisam.

Destinum, infortunium.

Non quod esset bastardus, sed quia bastardi sunt maiori ex parte accorti.

Tyum est vallis spaciosa prope mœnia Mantuæ.

Marzocc*, grossolanus dicitur at sunt qui dicunt marzoccum, idest florẽtinum, qui Florentini suũ leonem vocãt marzoccum, si sic est, ergo Florẽtinum grossolanum.

Notandum.

Ramezãtes, fal sos, de ramo su prarientatos.

Atque suos etiam ramezantes (nescio quãtos)
Carlinos sborsat, quos omnes spendere zurat
In maleficio Zambelli propter amorem.
Tunc cito discedens Bertam restare comãdat,
Quæ stet alegra simul cũ Lena, nanq; cauabit
(Si numi flectunt animos) utrunque maritũ.
Sic ait, & properans Mantoam pergit ad urbẽ

Parenthesis.

Botonus, metaphorice ꝑ morsu.

Si numi flectunt animos, sententia nostri est
Cingaris, est dandus Primatibus iste botonus,
Officium quibus est Ladrones tradere furchæ,
Dismorbare uias saßinis, parcere nulli,
Quos gula Iustitiæ (non auri) sola coarctent,
Namque nisi poueros inopes, ac ære carentes,
Cerminus ascribi furchæ, ceppiq; macello,
Non tamen hi nostri Magnates atq; signores,
Attendunt quoniam ladris sine iure secundant
Et melius furchæ pœnam gens illa subiret

Iustitiãdi, quos iustitiandos esse iudicant.

Quæ fert Iustitiæ curam, quam iustitiandi.
Non ego Rectores dico, sanctumq; Senatum,
Sed quos in domibus proprijs tẽduntq; fouẽtq;.
Sunt etenim quidam furfanti, uel marioli,
Quos data libertas dominis facit esse supbos.
Sũt quia pretoris, uel magna fameia palazzi,
Et quibus est tantum spadas portare facultas.
Omnibus obijcitur taccare galonibus arma,
At tamen his tantum fiunt concessa brauosis,
Et quoddam magnũ decoris sibi nomẽ aqstãt,
Quid? nũ soldati regis, chortisq; barones?
Non ita, sed sbirri, zaffi, gens braua parolis.
Qui malefactorẽ si quẽquã prehndere uadunt,
Prehndere non satis est, prius at spoiare comẽ
Perq; bragarolũ numos cercando reqrũt, (zãt
Is sibi mantellum, brettam capit iste, sed ille
☞ *Saionem, ueluti sibi solis furta licerent.*

Vnde

Vnde miser, sicut Christus, bene dicere posset,
Diuisere sibi mea uestimenta ladrones.
Impietas non est mundo crudelior ista,
Instituuntur enim pro castigare giotones,
Hi tamen occulto sub textu iuris abarrant,
Sassinant homines, robbă cũ sanguine zaffant.
Sed colera superor, nec eos tantummodo dăno,
Atqui constituunt illos, implentq; fauore.

Mafelina.

Cingar ariuarat dudum festinus ad urbem,
Sponteq; bottegam Speciari passat inantum,
Qui merdă comprans saiottă caperat unam,
Fecerat & pouerum Zambellum carcere poni,
Ipse foras uiso confestim Cingare saltat,
Et seguitădo pcul sbraiat, sta brutte cauester
Sta manigolde, meos dinaros redde ladrazze,
Tu mihi uendisti fezzam pro melle, becone.
Tunc Cingar testes quosdam festinus ataccat,
Em testate, ait, auditis? testate fradelli,
Iste bosiardus stercus comprasse fatetur
Non à Zambello, quid carcere truditur ergo?
Sic traditore putas, unũ trapolare bonhommũ
Sic ue potestati fænocchium uendere pensas?
Sed tua conticui nimium peccata ribalde,
Nempe scio certe, nec testibus ipse carebo,
Quod tu sfalsasti, robbă uendendo, bilances,
Ac unam pro alia non cessas uendere cosam,
Nunc ad palazzum festino, citaberis illuc,
Teq; para contra multos deffendere testes,
Crede mihi faciam tibi sachezare botegam.

Togna.

Sic parlans Cingar ficto petit ore palazzum,
At Speciarus habet tali sermone pauram,
Quid faciat nescit, spazzatum se tenet esse,
Nou memorat falsas unquă tenuisse bilances,
Attamen

Saiotta est locu sta, quæ pro errore frequẽter posita est.

Iniuriarum cumulus.

Fænocbhium, fraudem, hinc infænocchiare, pro aggabare.

Frequentatio peccati obliuio

nem conſcientię fecerat.
Prouerbium.

Attamē o quantū ſimili pro errore ſcagaitat.
Ergo ſtatim currit poſt greſſum Cingaris atq;
Sic uocat;o,expecta precor,ola, expecta pochi
Sed mercadāti faciebat Cingar orecchias.(nū
Plus ſpeciarus eum uocem geminādo petebat,
Tandē ſe firmat Cingar,quid uiſq;? dimādat,
Ille,rogat ſupplex,audi compagne parolam,
Ne precor accuſes tali de crimine me nunc,
Mox aliquid donabo tibi,nec contra uilanum
Plus piadezabo de ſtercore melle coperto,
Immo tibi giuro quod eum de carcere trabo:
Cingar ait, certe ſcampaſti grande periclum.
Namq; ammiſiſſes totam de iure botegam,
Forſitan & prætor faceret tibi tollere uitam,
Errorem tantum tibi parco nientedimenum,
Quæ modo facturus dixiſti dummodo ſerues.
Sum contentus ait,ſpeciarus,mox trahit extra
Taſchellam ſeptem quartos,quos præbuit illi
Cingar eos tollit medicorum more negātum,
Preſonemq; ſimul poſt hæc petiere latenter.

Ferrum, & ferata,vt ſignum & ſigillum,lucem & lucernam.

Zambellum clamant reſtant,extra feratam,
Qui lætus uiſo confeſtim cingare currit,
Et ſupplex aliquem sbraiando petebat aiuttū.
Cingar ait taceas,taceas, dic matte pianum.
De bonauoia eſto, paueas Zambelle nientum,
Solus ego nunc nunc hoc te de carcere trabo,
Denari osq; meos nil reſto ſpendere pro te,
Et iam pagaui multam nunc uſq; monettam.

Atortū, immerito.

Hic homo qui mecū eſt,ac te battiuit atortū,
Iurabit coram populo feciſſe boſias.
Zambellus dixit,ſed quis pagauerit illam
Merdam quam fracto maſtello perdidit iſte?
Gingar reſpondet,talem mihi deſine curam,
Ipſe tibi merdæ donabo trenta barillos.
Ergo cito uadam,nunc nunc exibis ab iſto
Carcere,

Carcere, tuq; ueni mecum speciare camina.
Hinc simul absentāt se ꝑpter ad ire palazzū.
Quo cingar causam Zambelli deniq; tractat,
Qui tantum fecit cum frappis atq; bosiis,
Vt cauat, atq; domi Zambellum misit allegrū.
Presonem (ueluti mos est) tantummodo pagat,
Et numos quos læna dedit sua tasca guadaḡnat
īmo quos fecit speciarū trare bachioccū. (gnat
Berta.
Sed bona Zambellum redeuntem læna recepit,
Q̄uo? num basis? lætis num amplexibus ut mos
Vxoris carum quæ atrectat blanda maritum?
Verum cum solido miserum stangone recepit,
Atq; cosiduras saldauit circa giuponem.
Id fuit ipsius requies post carceri usum.
At post quinq; dies ipsum uult læna bonhomū
In mercantijs exercitare quibusdam,
Taschellam quoniam Cingar sugauerat illis,
Vnde tapinelli capsam sine pane catarant.

Altera Cingaris astutia.

Ergo comandauit Zambello læna marito,
Quod properās urbi procazzet uēdere uaccā,
De qua non modicam sumebant utilitatem.
Omnibus in feris complebat lacte parolum,
Deq; suis tortas faciebat læna pouinis.
Et (ueluti patres nostri dixere uetusti)
Hāc adhuc in teneris annis dixere chiarinā.
Ergo Zambellus uirgam piliauit aguzzam,
Quam chiamare solet uillanica turba goiolū.
Et pungens uaccam dicebat ualla chiarina,
Atq; facit uersum quem nemo scribere posset,
Sed quia mercati non impararat abaccum,
Atq; super teseras ignorat scribere contum,
Inimo sup digitos quoties numerare uolebat,
Non passare nouem centos potuisset in annos,

Frappe, zanze, baiane, nugæ, à Macrobio idē reputantur.

Prouerbialiter dicimus facit trare, ideſt fallit, & abarrat.

Parolum, vas æreum.

Maxima p̄trū sapientia, qui vaccas etiā baptizare cōsueuerunt.

Sibilum intellige.

Tesera, virga ē supra quam villani numerum signant.

Ista

Ista pro causa præcepit Lena marito,
Venderit ut uaccam, nõ toiat alhora monetã

Credẽzam, creditũ, uel caparram, quamuis aliquãtisper differant.

Ast in credenzam si quis quid tradere uellet
Accipiat quoniam uult, ipsa rescodere numos,
Sic faciam Zambellus ait, sta in pace, decasam
Tende quousq; tibi ueniã, zais, ualla chiarina

Zais, vox bubulchi, cum sistit boues nimis frezzosos.

Et pontirolo stimulans se portat ad urbem.

Pedrala.

Cingar id audiuit Berta *referente, quod egit?*

Ad badã, ociositer.

Non stetit ad badã, propat, pperãsq; susurrat,

Notanda.

Qui nimis indusiat caldũ, nõ mangiat arostũ,
Allogiatq; malum, qui troppũ tardus ariuat.
